

trina declinent. — (33^a) solent sepe magistri, ubi scolarium multitudo est, sub se alios habere magisterculos, qui, si cognoverint magistrum esse durum atque severum, ut ei placeant, ejus proterviam imitantes pueros verberant et increpant. — hujusmodi magistros quidam prelati ecclesiarum imitantur. si ipsi fuerint duri et iracundi, consimiles sibi adjuutores assumunt, ne aliquid consolationis subditi in eis reperiant. tales imitantur nonnulli abbates, qui, cum rigidi sunt atque severi, consimiles sibi eligunt priores. sub hujusmodi prelati, in quibus multum est correctionis et modicum consolationis, oriuntur murmurationes et detractiones malarumque voluntatum conceptiones. — (33^a) ,coagulatum est sicut lac cor eorum'¹ — ,montes coagulatos',² alia translatio habet ,montes incaseatos'. unde coagulatum et incaseatum idem est. ex coagulo fit caseus, qui, quanto plus antiquatur, tanto plus induratur, pallescit et propter sal amarescit. — quidam sunt, qui, cum ad dignitates aspirant, lacteos se simulant, candorem lactis preferentes in ficta caritate, perspicuitatem in ficta mentis sinceritate; tactu lenes sunt, quia tractabiles, et gustu suaves, quia affabiles. cum vero prelaturas desideratas adepti fuerint, mox fermento malitie et nequitiæ sue apposito vel (34^a), ut verius dicam, declarato, coagulatur sicut lac cor eorum. incaseati vero coacescunt et quotidie durescunt, pallescunt et propter sal amarescunt. acredo³ casei significat vitium fellis et invidiæ. coagulum lactis aliquando valde acetosum est. duritia casei vitium exprimit immoderati rigoris et immisericordiæ. pallor casei vitium exprimit tristitiæ et accidiæ. salsugo, que in caseo est, vitium designat amaritudinis et ire. Fresco dicit, quod omnis caseus naturaliter sit malus. quod apud eos vere videtur, eo quod pinguedinem lactis sic exprimant, ut sicci et aridi modicum in se saporis habeant. apud nos vero casei quidam valde boni sunt et bene conveniunt, eo quod pingues sint et bene pressi atque temperanter salsi. tales casei significant prelatos bonos. — caseus, si nimis modicum salsus fuerit, vermes citius ex se gignit. sic prelati, si nimis dulcis et remissus fuerit. — (35^b) non tamen credendum est, quod Deus manus corporales habeat, cum spiritus sit, sed manus ejus

¹ Psalm. 118, 70.² Psalm. 67, 17.³ = acerbitas, vgl. Diefenbach und Du Cange 1, 61.